

QUAEDAM ADNOTATIONES  
DE  
**A S P H Y X I A.**

DISSE

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARUM CÆSAREA  
**DORPATENSI**

AD GRADUM

**DOCTORIS INDIORUM**

RITE ADIPISCENDUM

LOCO CONSUETO PALAM DEFENDET

AUCTOR

**Aaronis Stern,**  
MITAVIENSIS.

---

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS VIDUAE J. C. SCHÜNMANNI ET C. MATTIESENI.

MDCCLV.

**I m p r i m a t u r**  
haec dissertatio, ea conditions, ut, simulae typis fuerit excusa,  
numerus exemplorum lege praescriptus collegio tradatur ad libros  
explorandos constituto.

Dorpati Livor. die 8. mens. Decembris a. MDCCCLV.

N° 315.  
(L. S.)

*Dr. Samson,*  
ord. med. h. t. Decanus.

**PARENTIBUS  
OPTIMIS CARISSIMIS**

**N E C N O N**

**VIRO HUMANISSIMO**

**CAROLO BURSY,**

DOCTORI MEDICINAE,  
**BERUM MEDICARUM IN CURONIA INSPECTORI.**  
A CONS. PUBL., INSIGNIS ST. ANNAE EQUITI,

**HAS STUDIORUM PRIMITIAS**

**PIETATIS GRATIQUE ANMI TESTIMONIUM**

**D. D. D.**

**AUCTOR.**

D 17460

## **Praefatio.**

Observationes practico artis usu collectas fontem esse, ex quo theoriae hauriantur, satis constat. Attamen temporis spatium, per quod in literarum universitate medicinam usu pratico exercere potui, quum ex altera parte brevius, ex altera ipsum curriculi mei artis medicae primordium fuerit, has causas lectorem benevolum haud neglecturum esse confido, ut, quidquam novi se in hac commentatione inventurum esse, spem deponat.

Quid sit, quod asphyxiae submersorum plurimum spatii dicaverim, quum quivis hujus rei haud imperitus, quanti momenti ea sit, rite dijudicare possit, non videtur pluribus exponentum esse; quo accedit, quod, quum ea commentationis pars multa contineat, quae etiam ad reliquas asphyxiae species pertineant, has, ne eadem repeterentur, brevius pertractare potuimus.

Species asphyxiae deinceps tractatae neutriquam ad arbitrium altera alteri adnexae sunt,

sed hunc, quem secutus sum, ordinem partim ideo observavi, quod nonnullae species, uti asphyxia submersorum et asphyxia congelatorum, saepenumero inter se conjunctae observantur, partim quod frequentiam casuum respiendam esse judicavi. Si forte quispiam mihi approbrio dederit, quod asphyxiae neonatorum non suum ac proprium caput attribuerim, excusationis causa afferre liceat, me, timentem, ne eadem saepius recurrerent, pro causarum diversitate neonatorum asphyxiā singulis asphyxiae speciebus comprehendere studuisse.

Denique impellit me animus, ut praeceptoribus clarissimis doctissimisque, sub quorum auspiciis in hac literarum universitate arti medicae operam navare mihi licuit, studii, quod in ingenio meo excolendo insumserint, palam nunc meritas debitasque gratias persolvam.

---

### Quaedam historica.

Jam antiquitatis gentibus asphyxiā haud incognitam fuisse, complūrium scriptorum relationes coargunt. Sic apud Aegyptios Graecosque et Romanos nonnulla de hominibus asphyctis feliciter servatis memoriae produntur, attamen nullum apud illos institutum exsistit, iis, qui casibus subitis perissent, in vitam restituendis inserviens<sup>1)</sup>. Ceterum haec relationes, quemadmodum exempla ab Apollonio et Asclepiade allata demonstrant, nisi in artis historia non ita magnae sunt dignitatis. Teste Plutarcho, Graeci homines asphyxia correptos, qui revixissent (*ἀντεπονότεροι*), impuros esse credebant, nec eos ante inter cives recipiendos censebant, quam, velut recentis natū, loti fasciisque circumvoluti et ad mammae admoti essent. Ad metum quod attinet, ne quis vivus sepeliretur, is quidem aequē est vetus, atque usus eum, qui in repente versetur vitae periculo, auxilio juvandi. Romanos, ne quis vivus conderetur, tunuisse, satius constat, ex quo metu verisimile est eorum morem fluxisse cadavera in rogis concremandi, qua in re haud ita raro accidit, ut homines pro mortuis habiti in pyra reviviscerent. Cadaverum lotio ope aquae calidae per septem dies continuata, frictiones, unctiones, complorations hoc tempore institutae, hominumque, qui mortui videbantur, conclamatio-nes ostendunt, illos suspicatos esse, asphyxiā cum morte

1) Struve: Versuch über die Kunst Scheintode zu beleben. Hannover, 1790, p. 90.

vera confundi posse. Itaque his uterantur verbis: „Defletus atque conclamatus mortuus ductabatur per forum“; quin etiam in ipso rogo lex erat ut digitus desecaretur<sup>2)</sup>. Quae cautelae ex casibus adversis, qui observati fuerant, exortata postea ob res similes, quae posteriore aetate acciderant, magis sunt evolutae. Sic *Vesalius* in cadavere hominis, qui mortuus videbatur, secundo, quam cavo pectorali aperto, cor etiamtum moveri corneret, se tristi errore delusum esse intellexit<sup>3)</sup>. Quid vehementer dolendum est, artis medicae historia non ita exiguum exemplorum similium multitudinem offert. Cujusmodi casus ut praecaverentur, aetate posteriore remedia vehementer irritantia in usum vocare cooperant, quae tamen, tantum abherat, ut vitae scintillam gliscantem suscitarent, ut contra omnino eam extinguerent. *Wagner*<sup>4)</sup> haec ait: „Schon die einfache That-sache, dass fast in allen (wenn nicht in allen) Fällen des aus inneren krankhaften Zuständen entstandenen Scheintodes, bisweilen auch in der durch äussere Schädlichkeiten eingetretenen Asphyxie, das Erwachen von selbst, ohne Zuthun der Kunst erfolgt ist, muss den Gedanken erregen, dass dies vielmehr durch einen grossen eigenmächtigen internen Vorgang erfolge, als dass es so sehr dabei auf ein überaus thätiges Eingreifen der Kunst ankomme, wodurch sie gewiss in unzähligen Fällen geschadet hat.“

Mos præmia atque beneficia iis distribuendi, qui laborantibus succurrere et opifari ausi essent, cum antiquissimis temporibus admodum erat usitatus, cuius rei exemplum Romani præbent, qui, si quis civem ex vita periculo scravasset, eum corona civica donare solebant<sup>5)</sup>. Quaedam asphyxia genera, ut quae submersione vel fulminis ictu provocata esset, jamdudum innotuerant; attamen usque ad saeculum proximum superius medium ars huic doctrinae

2) *Frank*: Medicin. Polizei. T. V, p. 337 adnot., 361 et 363. *Bernt*, Rettungsmittel, Wien 1819, p. 9.

3) *Kite*: Wiederherstellung scheinbar todter Menschen, aus dem Engl. von Michaelis. Leipzig 1790, p. 154.

4) Encyclopädisches Wörterbuch der med. Wissenschaften, herausgegeben von den Professoren der med. Facultät zu Berlin. T. III, p. 544.

5) *Frank*, l. c. p. 35.

parum lucis attulit, quoad anno 1744 parva commentatio a *Winstow*, qui ipse asphyxia corruptus paeno sepultus fuerat, in lucem est edita, qua aliorum operum similium ansa est praebita. Mox enim alia quoque scripta publici juris facta sunt, quae ad doctrinam de asphyxia perficiendam haud parum contulerunt. Plurimum vero societates hominibus submersis conservandis institutae valuerunt, quarum prima anno 1767 Amstelodami est condita.

Equidem omnibus hujus generis institutis, quae ad illius exemplum condita fuerunt, cnumerandis supersedebat; id modo adjicere licet, permagnam eorum hodie esse multitudinem. Mosquæ<sup>6)</sup> jam inde ab anno 1803 tale institutum exstat, nec non hodie alia complura apud nos adsunt.

His institutis modo memoratis studium ortum est therapeutica in asphyctis agendi ratione priore aetate tam rudem emendandi atque certa mortis signa statuendi.

Tempore progredivente, quum crebrior rei nobis propositæ tractatio, scriptis ab *Hufeland*, *Hofmann*, *Folthergill*, *Stoll*, *Frank*, *Bernt*, *Orfila*, *Marc*, *Piorry* aliisque editis, caput, quod est de asphyxia, jam amplissimum faceret, materia largissima hoc pertinens collecta fuit.

Tempore recentissimo quum physiologia opera cel. *Joannis Mueller* multorumque summacæ auctoritatis virorum, qui viam primo ab illo initam secuti sunt, tam eximos progressus fecerit, experimenta a *Rossi*, *Legallois*<sup>7)</sup>, *Louis*, *Albert*, *Gohier*<sup>8)</sup>, *Leroy d'Etioles*<sup>9)</sup> *Albrecht* aliisque physiologis in animalibus instituta huic doctrinae haud parum lucis adhibuerunt, nonnullasque res antea obscuras illustraverunt atque dilucidarunt, quo factum est, ut multa, quae fini proposito non satisfacerent, e doctrina de asphyxia omittentur, utique manca et imperfecta, quantum fieri posset, explerentur. Itaque non mirabimur, quod multa

6) *Alacrinsky*: De asphycticis resuscitandis. diss. inang. Mosquæ 1825, p. 46.

7) Cit. 4. p. 541 et p. 543.

8) Annals d'hygiène publique. T. XI-IV, p. 285. *Guérard*, observations sur le secours à donner aux noyés et asphyxiés.

9) *Cunstatt*: Specielle Pathologie und Therapie. T. IV, p. 158 etc., et *Most*: Encyclopädisches Wörterbuch für Stomatologie und Kunde. p. 647.

priore actate hac de re tradila nunc nisi in artis medicis historia nullius pretii habenda sunt.

Denique ex multis sententiis, quae de asphyxia prolatae sunt, has fere commemorare licet. *Harvey*<sup>10)</sup> sanguinem, primum formatum animatumque, postremum emori, in coquē vivendi facultatem niti et hanc ex sanguine per organismum, a quo iam recesserit, denuo diffundi arbitratur. *Haller*<sup>11)</sup> probare studuit, asphyxiā ex mechanica sanguinis in pulmonum vasis capillaribus circulantis inhibitione repetendam esse. *Goodwyn*<sup>12)</sup> asphyxiā ex sanguinis ob sublatam pulmonum actionem oxygenio carentis ad cor sinistrum vi et effectu deducit. *Bichat*<sup>13)</sup>, uti experimenta praeclarissima ab eo instituta docent, jure ac merito sanguinem respiratione sublata venosum manentem ad cerebrum vim exhibere judicial. Veruntamen, quam diversorum momentorum asphyxiā efficientium ratio non habita sit, hac quoque theoria rem nequaquam ab omni parte considerari, facile intelligitur. Hucusque de priorum temporum theoriarū disseruisse satis sit, quibus nunc omissis, infra, quo loco de asphyxiā causis verba faciemus, ad rem inchoatam revertemur.

---

10) *Cit* 4, p. 541.

11) *Frank*, 1. c. p. 15.

12) *Meissner*: *Encyclopädie der Medicin, nach dem Französischen*. T. I, p. 43.

13) *Ibidem*. p. 44.

---

---

## Caput I.

### *Quid est asphyxia?*

Priusquam ad quaestionem solvendam accedamus, nomine asphyiae quid dicatur, praemitti aptissimum videtur. Etymologicam vocis significacionem si spectamus asphyxia ( $\alpha$  privatū et  $\delta$  οφυγέω pulsus) pulsus defectum denotat. Quo significatu hoc vocabulum primum a *Galen*<sup>14)</sup> est adhibitum, quo auctore, asphycti ii homines dicuntur, in quibus nulla arteriarum motio deprehendi possit. *Morgagni*<sup>15)</sup> hoc nomine tamē pulsus defectum significat, in quo reliquae vitae functiones perdurent. Ille enim aegrotos sensus servare adeoque nonnihil caloris offrere censem, qua re hic status a syncope vehementiore morteque apparente discrepet. Qualcum statum semel in homine quodam per dies 40, semel in altero per menses 4 observavit. *Frank*<sup>16)</sup> hoc verbo altiore syncopes gradum, omniumque functionum collapsum designat, et asphyxiā mortemque apparentem inter se distinguat, eas, quamvis una exstare possint, tamen non plane inter se permiscendas esse existimans.

Actate posteriore hoc vocabulum alio quodam significatu reperitur, namque, primaria vocis potestate amplificata, statum morti similem et quidem speciem illam, quae sublata pulmonum actione vel respiracione effecta esset, sic dicere consueverunt, connexu videlicet, qui inter sanguinem et respirationem intercedit, cognito, atque tale discrimen posuerunt, ut cerebri actionem repente interruptam nomine apoplexia, cordis actionem repente cessantem nomine syncopes dicerent. Quac divisio adhuc servata est, dum asphy-

---

14) 15) et 16) *Frank*, 1. c. T. IV, p. 14, 15 et 16. Ad 15) *Morgagni* epist. anatom. med. art. XXIV, art. 1-9. cf. *Frank*, 1. c.

xiam sensu strictiore dictam suffocationem vocant, vocemque asphyxiae pro generis notione in linguae technicae usu tenuerunt.

Jam antiquitus observatum est, homines causis quibusdam, vitae functiones arce inter se juntas tollentibus, in talē statim redigi, qui morti, qualis est ante putredinis stadium, similius sit, quique pro perfecta mortis imagine haberi queat, ex quo statu homines post brevius longiusve temporis spatium reviviscant, et in quo, nullum vitae signum manifestantes, vita ipsa sint destituti. Vita et mors in rerum natura inter se sunt contrariae, atque in disciplina naturali, obviis in natura gradibus transitibus paullatim factis, certus inter utramque limes statui nequit. Etenim, uti **Henle**<sup>17)</sup> ait, experientia docuit, animalium occisorum cor, quin etiam cor excisum post longiora intervalla motiones rhythmicas saepius repetitas sponte denuo incipere, artuumque disjunctorum musculos, si irritatione exhausti videantur, actionem de integro incipere posse. Quae cum ita sint, facile perspicitur, definitionem rite conceptam nec actioribus limitibus circumscriptam constitui non potuisse, unde evenit, ut re vera definitionum, quac posita sunt, pleraque non sufficient, ac, si vere existimes, defendi nequeant. Jam illa asphyxiae divisio, ut aut a nervorum systemate aut ab respirandi apparatu aut a sanguine et vasorum sanguiferorum systemate proficiisci putetur, in theoria tantummodo catenus aliquicu momenti est, quod processus illos tempore inter se disjunctos statuit. Quod num re vera ita se habeat, si quæsieris, equidem id negandum esse censuerim.

Vita phænomenorum vitalium functionumque organicarum serie, mors illorum fine manifestatur. Si post ultimum spiritum vita extincta videtur, telarum contractilium irritabilitate aliquandiu perdurante, cor in thorace post mortem aperto sponte vibrare cernitur, arteriacque sanguinem in venas pellunt, adeoque musculi varicosi post complures horas, irritatione galvanica exhibita, reagunt<sup>18)</sup>. Illud igitur

post spiritum ultimum temporis spatium, quo, irritamentis applicatis, reactio deprehenditur, ideoque irritabilitas etiamnum perdurat, usque dum omnino desinat, tum asphyxiati nominamus, quem mortis signa non omnino certa sunt, aut nullae idoneae causae, quae mortem pro certo haberit iubeant, existant.

Hoc temporis spatio opus est, ut vitae resuscitandae conatus fiant. Cujus modi conatus prosperrimo successu fuisse, multorum auctorum relationes demonstrant. Ex narrationibus fide dignis homines sexto vel adeo septimo asphyxiae die in vitam revocatos esse constat, dum alii etiam per longius tempus hoc in statu fuerunt, priusquam omnino certa mortis signa apparerent<sup>19)</sup>. **Frank**, qui ipse per aliquot horas asphyxia correptus erat, casus quosdam, in quibus homines pro mortuis habiti revixerint, memoriae tradidit. Qui autem hic illuc narrantur casus de asphyxia per dies 10 vel per complures hebdomades continuata, ii certiore confirmatione indigent. Sic **Martini**<sup>20)</sup> casum quendam ex diurnis Berolinensibus desumptum, in quo puella nervorum affectione laborans per hebdomades 9 in statu morti simili mansisse perhibetur, iure in dubitationem vocandum esse judicat. **Struve**<sup>21)</sup>, observationibus institutis, diversas asphyxiae species, quod ad temporis spatium, per quod vita delitescat, attinet, hoc ordine proponit, ut in gelatulis id longissimum esse, deinde in neonatis, qui mortui videantur, in submersis, doinceps in suffocatis, denique in sideratis brevissimum esse dicat, qua in re ceteras conditiones parcs statui per se intelligitur. In universum contendere licet, si causa celeriter agens organorum ad vitam necessariorū functiones via mechanica ad temporis momentum perculerit, structura organica tamen non deleta, vitae resuscitandæ spem haud inanem esse.

Quod ad signa spectat, ex quibus asphyxiae stadium cognosci possit, talium mortis indiciorum et methodorum, quibus, num vita adsit nec ne, exploretur, magnus est nu-

17) **Henle**: Rationelle Pathologie. T. I, p. 354.

18) **Valentin**: Physiologie. T. II, p. 71.

19) **Meyn**: Die Asphyxie. Kiel 1843, p. 14.

20) **Siebenhaar**: Encyclopädisches Wörterbuch. p. 406.

21) **Struve**, I. c. p. 28 et 30.

merus. Signa, quao plerumque afferri solent, pallor, sensibilitas motuumque reflexivorum defectus, pulsus deficiens, corporis frigus, oculi aperti, conjunctiva turbida, perpetua partium mollium, quibus corpus aliquamdiu incubuit, complanatio, rigor mortis, de morte nos certos facere nequunt, dum putredo manifesta et maculae illae cadaveribus peculiares in dorso et abdominis integumentis evolutae atque odor putridus mortem veram ingruisse ostendant. Quae ante attulimus symptomata, ea, quum etiam in multis morbis adesso possint, pro parum certis ac pro fallacibus habeantur oportet. **Haller**<sup>22)</sup> quidem putredinem mortis signum non sufficientes esse existimat, quippe qui casum quendam observaverit, quo hominis asphyxia correpta extremitas in putredinem abiit; tamen, quum in asphyxia extremitatis gangraena ori possit, viri docti sententia pro vera putari non potest. Signa cetera, quae supra memoravimus, cum hoc ultimo coniuncta, pro documentis adventiciis haberri possunt.

Ad conatus quod spectat mortem apparentem a vera discernendi, tempore progrediente methodorum, quibus de vita nobis persuadere possimus, permagna exstutit multitudine. Ex quibus mihi apparatus electricum a **Kite**<sup>23)</sup> commendatum, et apparatus galvanicum a **Creve**<sup>24)</sup> suamus posteaque a **Struve** adhibitum commemorare liceat. Verumtamen, muscularum per vim electricam irritabilitate etiamnum extante, vitalitas deesse potest, et vice versa<sup>25)</sup>. Porro tales operationes effectum contrarium habere possunt, asphyxiā, uti jam supra monimus, in mortem veram mutant. Itaque horum remedium usus partim ob periculum, quo junctus est, aspernandus, partim ob conclusionem incertam admodum est fallax. Speculi frigidi politique vel plumae ad os nasumque admotio, vasis usque ad marginem aqua repletū ad thoracem applicatio, qua scilicet thoracis elevatio ac descensus cognoscatur, stethoscopii ad cordis ictum explorandum usus, sanguis ex vena aperta non emanans, quum

22) **Haller**: Elementa physiolog. Lib. IV. sect. V. §. 11.

23) **Kite**, I. c.

24) **Creve**: Metallreiz als Prüfungsmittel des wahren Todes. Leipzig 1794.

25) **Bernt**: Vorlesungen über Rettungsmittel bei Scheintodten. Wien 1819, p. 58.

pulsus et respiratio aut per speciem aut re vera intermittere possint, quamvis mors pro certo haberri nequeat, nos ad conclusiones falsas deducere possunt. Sic, ut exemplo utar, si in morte vera vapores aut ex ore aut e naribus provenient, speculi fulgor hebescere potest. At signa diagnostica, quae **Kluge** et **Weber** commendarunt, aptissima sunt. Etenim, his auctoribus, epidermis vehementius, idque linteo liquore salis ammoniaci humectato fricando amoenda est. Irritamenta ad cutem applicita cadaveris superficiem jam non rubefacere, cutemque a superficie amotam haud amplius evaporare sed siccessere, facile perspicitur<sup>26)</sup>. Porro viri docti secundo vulnera inferri suaserunt, quoniam quodque vulnus cadaveri inflictum a vulnera corpori vivo illato magnopere disert. Corporis asphycti, in quo materiarum vicissitudo quam maxime deminuta est, superficies, quo minor aeris externi temperies est, eo colerius refrigeratur. Cujus rci **Mende**<sup>27)</sup> admonuit, in hominibus asphyxia correptis quasdam corporis regiones, ut vaginam, tractum intestinalem, cavum oris, quamquam frigus universale adsit, tamen quendam caloris gradum servare afferens. Namque, quum omnes telae animales calorem parum propagent, calor internus retinetur. Ut autem, quaecum in internis corporis partibus temperies sit, nobis persuadeamus, **Nasse**<sup>28)</sup> thermometrum a se inventum commendat, quod quidem thermometro ad specillum elasticum affixo, per oris cavum aut in ventriculum aut directe in anum aut in feminis in vaginam immittendo, consistit. Quum vero, uti supra jam diximus, putredo certissimum sit signum, quo mors ab asphyxia distinguatur, sane, ut omnis dubitatio extimatur, optima ratio haec est, ut hominem pro mortuo habitum in lectum calidum imponendo et in conclavi calido tonendo putrescentiam adjuves, quoad signa putredinem indicantia existant. — Hactenus de mortis indicis et vitae resuscitandae methodis.

26) **Kluge**: De cutis exsiccatione certo mortis signo. Diss. inaug. Lips. 1842.

27) **Mende**: Ausführliches Handbuch der ger. Medicin. Leipzig 1819—32. T. V. p. 196.

28) **Nasse**: Untersuchungen zur Physiologie und Pathologie. Bonn 1841. T. I. p. 65.

sunt, qua de re has asphyxiae species ponere licet. Ceterum monendum est, causas mortium subitarum sponte ingruentium mili omittendas visas esse.

- A. I) Sanguinis circulatio irregularis aut sublata est. (Frigoris ad organismum effectus, pressio ad funiculum umbilicale exhibita).
- II) Sanguinis status liquidus frigore magno, velut congelatione, mutatus est; sanguinis mixtio intoxicatione aut respirationis processu sublato (suffocatione<sup>29</sup>) alterata est. Quac suffocatio effici potest:
- B. III.) aut relativo aut absolutio aëris defacta (submersio, hominis vivi humatio, commoratio in loco aëris exteriori),
- IV.) aëris indole aut negative aut positive noxia (gasis oxygeni expertibus aut beneficis),
- V.) viis aëferis mechanicæ ab aëre atmosphaericō interclusis, id quod aut manibus sit (oppressio), aut laqueo (strangulatio). Si corporis ipsius pondere aëris atmosphaericus a respirandi organis praeccluditur, suspensio dicitur.
- VI.) musculorum respirationis functione impedita (pressu ad thoracem vel abdomen exhibito, cursu continuo) et nervorum functione inhibita (laesione).
- C. VII.) Denique, si causas contemplamur, quae ad nervorum systema valere possunt, causæ, quæ via primaria, quæquo via secundaria, sanguinis mixtione mutata, vim noxiā ad nervos exercent, distinguendæ sunt. Quarum prioribus majores vis electricæ gradus,

29) *Tardieu* hoc verbo significatione strictiore utitur haec dicens: La mort par suffocation comprend tous les cas dans lesquels un obstacle mécanique autre que la strangulation, la pendaison ou la submersion est apporté violemment à l'entrée de l'air dans les organes respiratoires.

Quatuor ordines primarios statuit.

1. Occlusion directe des voies aériennes,
2. Compression de parois de la poitrine et du ventre,
3. Enfouissement du corps vivant,
4. Séjour forcé dans un espace confiné.

## Caput II.

### Divisio asphyxiae.

Omnis effectus violenti subitique, quibus gravissimæ vitae functiones, uti systematis nervosi, sanguinis, organorum respirationis, cordisque functiones, turbantur, aut mortem aut certis in casibus asphyxiā provocare valent. Has functiones si respicimus, quarum congruentia et concinnitate vita manifestatur, noxa ad aliquam earum exhibita mechanismum illum incongruum reddere, vel aut ad tempus aut, effectu gravius agente, in perpetuum inhibere potest. Omnes corporis partes tum mutuo inter se connexu simul languescent, corpus paler frigideque, motiones arbitriae deficit, sensus contra irritationes specificas non reagunt, respiratio pulsusque cessant, quem statum per aliquot horas, quin etiam per dies 5—6 continuum asphyxiac nomine dicimus; vita aut sponte aut artis auxilio allato resuscitat, tum in regione cardiaca calor adaugetur, sensus reagunt, respiratio pulsusque revertunt. Qui status optabilis si non apparuerit sed putredo exstiterit, homo fato inevitabilis, nempe morti, cedit.

Sanguis illa est materia, ex qua organismus nutrimentum suum hauriat, illaque tela, quac pro necessario ad vitam irritamento nervorum corrumque centrorum habeatur oporteat. Quem in finem necesse est sanguinem respirandi processu cum aëre atmosphaericō in contactu venire, eaque, quae jam inutilia exstiterint, evehi ac materia nova utilique compensari. Qui processus ut fieri possit, opus est aëre certae constitutionis perpetuo renovando et principio nervos ad respirationis systema decurrentes regulante, quod e certo centro (medulla oblongata) exeat. In qua velut catena si unus annulus turbetur, has turbas exempli toto organismo manifestari facilissimum est intellectu. Momenta noxia aut ad sanguinem aut ad respirationem aut ad nervos valere pos-

sideratio, commotio cerebri aut medullae spinalis, distractio medullae spinalis adnumeranda sunt; posteriores jam supra commemoravimus.

Ex quibus speciebus nonnullas, ut quae in practico artis mediceae usu gravissimae sint, maxime contemplari licet.

### *Asphyxia submersorum.*

Mox submersione effecta, quam inter mortes violentas subitas quemadmodum cognitam esse constat, saepe in medici observationem venire potest, quippe quae frequentissima vel casu adverso vel suicidio offeratur, dum raro submersio pro homicidio adhibetur.

Submerso ex aqua extracto, quamvis exiguum temporis spatium in aqua manserit, corporis temperies admodum deminuta cernitur. Quin etiam tempore aestivo haec temperies minor est, quam fluidi, ex quo miser protractus sit, temperies. Quae res duobus nititur momentis:

1. quod corpus in fluido infuit, cuius temperies minor est, quam corporis superficie,

2. quod aqua corpus vestosque madefaciens jam evapatur, ad quam rem quam magna caloris quantitas sit necessaria, calor liber existit, frigusque oritur.

Interdum cutis anserina animadvertiscit, quae tamen brevi tempore evanescit.

Symptoma cetera extrinsecus conspicua pro proximae mortis causae diversitate diversa apparent.

De hac quaestione, nempe de proxima mortis causa, multae inter medicos controversiae fuerunt. *Galenus* ejusque exemplum secuti multi alii in ea sunt sententia, ut pro causa mortis submersorum magnam aquae quantitatem habent, quae corpus ingressa, quam omnia ejus cava impleverit, partes animales dirumpendo naturalibus atque vitalibus actionibus laesionem inferat<sup>31</sup>). Alii aquam ventriculo contentam, quam, ut venter dilatetur, efficiat, inde aortam premere existimant, qua ex re, quam circulationis turbae jam

evitari nequeant, apoplexiā oriri necesse sit<sup>32</sup>). Attamen, quum multae sectiones in submersis instituae, nec non experimenta in animalibus facta huic questioni plus lucis attulerint, sententiae istae, ut quae pro falsis babendae esse cernerentur, jam ab omnibus sunt depositae.

Omnium primum, quod ad cadaverum sectiones in illis submersis institutas attinet, in quibus mors apparens in mortem veram transisset, multis in casibus aqua in pulmonibus inventa non est, quam ob causam aqua, dum misero vita suppeteret, in pulmones penetrare negata est. Sic *Kite*<sup>33</sup>), nervorum rimac glottidis spasmo exerto, a submersis nihil aquae inspirari, illamque aquae quantitatem, quae in submersorum pulmonibus reperiatur, post mortem domum eo perlata arbitratur. *Goodwyn*<sup>34</sup>), quam feliciter vivam hydrargyro submersisset, quasdam ejus quantitates, quamvis exiguae, in pulmonibus reperi. Experimenta a viro docto in animalium et tempore posteriore a *Portal*, *Mare* aliis in neonatorum cadaveribus instituta, in eorum cadaverum pulmonibus, quae per aliquot dies in fluidis coloratis scrvata essent, nullum eorum vestigium deprhendendi posse, ostenderunt<sup>34</sup>), quoniam epiglottis fluido introitum praeclusserat. Contrarium *Viborg* et *Orfila*<sup>35</sup> suis experimentis innixi affirmant. *Haller*<sup>36</sup>) in animalium aqua submersorum pulmonibus aquam spumosam reperi, qui idem experimentorum multorum, post illum a compluribus, uti a *Louis*, hunc in finem institutorum, evenitus fuit. *Louis*<sup>37</sup>) quam felix aqua, cui atramentum aliaeve substantiae colorantes admixtae erant, aut oleo submersisset, in cadaverum sectione illa, quac diximus, fluida partim in trachea, partim in bronchorum ramificationibus invenit. Qui experimentorum eventus sententias duas omnino inter se contraria moverunt. Quarum altera proximam mortis causam a suffocatione repetendam esse censuit, id quod tum experi-

31) *Kite*, l. c. p. 8.

32) *Ibidem*. p. 91.

33) *Cit. 4. p. 559.*

34) *Most*, l. c. T. II, p. 945.

35) *Medecine legale*. T. II, p. 345.

36) *Haller*: *Opuscula pathol.* p. 150 et 160. cf. *Frank*, l. c. p. 187.

37) *Annales d'hygiène publique*. l. c. p. 258.

menta tum aquae in pulmonibus praesentia confirmare videbantur. E contrario fuerunt, qui, quum experimenta caveruntur, proximam mortis causam ab apoplexia deducerent, aquam, quae inventa esset, post mortem demum in pulmones delatam esse arbitrati.

*Piorry et Albert* multum huic doctrinae lucis adhibuerunt, quorum quidem studii atque disquisitionibus certiorum processuum qui in asphyxia, quique in morte submersione effecta fierent, cognitionem acceptam referimus. Quibus auctoribus, mors submersione facta aut I) tarda aut II) subito accidit.

I. Si quidem respiratio, uti inter omnes convenit, processus est cuius animali viventi omnino necessarius, miserum illum, qui in aqua versetur, respirare pergere necesse est. Eo igitur temporis spatio, quo aquae reluctatur, majorem aeris in pulmonibus contenti partem exspirat, quo fit, ut aeris bullae in aquae superficie apparent. Oritur itaque aeris captatio, miserque aliquoties ad summam aquam emergens primum aërem et aquam, denique aquam solam inspirat. *Albert*<sup>38)</sup> fluidi quantitatim, quae singulis inspirationibus in animalium pulmones intraret, certo definire potuit, quoniam vasis, quo animalia submergebat, parietem scala gradibus distincta instruxerat. Pulmones pari processu, atque qui in antila fiat, impleri manifestis etiam experimentis a *Louis* suscepta docuerunt, qui quidem canes, quorum capita sola aquae immerserat, sic morti dedit. Aqua, ut quae corpus alienum sit, vias aëriferas irritat, unde tussi ex parte in oris cavum delata hinc in ventriculum pervenit. Quae asphyxia vel mortis species suffocativa est, non illa quidem aquae in pulmones vel adeo in ventriculum introitu effecta, sed ex aëris defectu et respiratione tali modo cessante orta, quam et fluidum aeris ad respirationis organa aditum praecluserit, et extrinsecus aquae vis ad thoracem pressum exhibuerit. Quorum momentorum prius a *Richter*<sup>39)</sup> rite respicitur, qui

38) *Mare:* Neue Untersuchungen über die Hülse bei Scheintodten, deutsch von Weyland, Leipzig 1836, p. 85.

39) *Richter:* Specielle Therapie. Berlin 1821. Cf. *Steinenhaar*, I. c. p. 439.

talibus verbis utitur: „Mehr das Wasser, was vor dem Munde ist, bewirkt den Tod, als das, was in denselben gelangt.“ Momentum alterum, nimirum pressio ad thoracem exhibita, omnino neglectum fuit, qua de causa non mirum videtur, quod *Goodwyn*<sup>40)</sup> in felibus, quum in earam tracheam fluidi uncias duas injecisset, nullam suffocationem existere animadixerit.

Asphyxia hoc modo exorta talia symptomata praebet. Oculi semiaperti, pupillae dilatatae, os nasusque spuma vel aquosa vel sanguinea obiecta sunt, lingua ad dentes versus promota, nonnunquam inter dentes prominere cernitur. Asphyxia in mortem veram transgressa, in ventriculo viisque aëriferas idem, ex quo homo extractus est, fluidum, veluti aqua marina, massae in latrinis obviae, inventur<sup>41)</sup>. Quin etiam glareæ arenacque in viis aëriferas, adeoque majores glareæ massæ, quas in supremis illarum portionibus haerere necesse erat, repartæ fierunt. Fluidi inventi copia, longiore agonia praegressa, major, quam in casu contrario, esse solet. Fluidum in bronchiorum ramificationibus contentum se spumosum ac sanguinolentum et lentium quadam præditum exhibit; namque spumosum apparat, quippe quod ex aqua atroque communum sit, sanguineum ob sanguinem extravasatum, lentum aut propter secretum bronchiale anteas fortasse accumulatum aut ob aliam quandam causam, de qua infra, quo loco de fluidi in ventriculo praesentia disseremus, exponere licet. Pulmones, qui colore violaceo aut maculoso imbuti sunt, dissecuti multum sanguinis fusi atque liquidi emittunt, admodumque expansi nonnunquam etiam vesiculis in superficie positis (emphysemate) obstiti sunt, id quod a pulmonum parenchymatis rupturis ex respiratione pulmonum quam maxime expansorum valde impedit oriundis dependet. Quodsi sanguinis circulatio primum in pulmonibus inhibita est, sanguis via mechanica partim in cerebro partim in abdominis organis, uti in lieue hepatique, accumulatur.

Sanguinis circulatio ab initio, cordis actione acta, ma-

40) *Most*, I. c. T. II, p. 945.

41) *Mare*, I. c. p. 88.

jorc vi evenit; quin immo, respiratione sublata, cor per aliquot sexagesimas micare pergit<sup>42)</sup>. Ad aucta cordis actio, quea initio exstitit, jam pressioni auctae ex fluido inspirato in pulmonibus ortae reniti conatur, materiarum vicissitudine perdurat, attamen pro oxygenio sanguis aquam accipit, et pro acido carbonico sanguis in bronchos intrat. Sanguis venosus manet et vim sopientem ad cerebrum exercet, unde accidit, ut miser mentis suae impos existat atque concidat. Quae res causae est, cur, uti *Carpenter*<sup>43)</sup> observavit, animalia ante iactu in caput illato sui impotia facta submersione per longius tempus perfere possint.

Aquae in ventriculo et intestinis praesentia, quum ejus minima pars glittiendo direcete in ventriculum perveniat, solummodo ex processu supra memorato, nempe ex respiratione, repeti potest. *Gohier*<sup>44)</sup> hanc rem inquisitorus tale experimentum instituit, ut animali per foramen in trachea factum fluidum injiceret, quod exemplo resorptum in sanguinem circulante dilatum esse, inde eluet, quod brevi tempore respirandi difficultas evanuit. Idem processus in submersis efficit, ut pulmones postea acri pervii evadant, nam fluidum resorptum ad organa digestiois devehitur, indeque partim per os partim per anum foras emituntur. Fluidi in vesica urinaria inventi eadem est origo.

Auctus sanguinis ad pulmones affluxus auctaque cordis actio certe praeter sanguinis egressum, de quo mentionem intulimus, faciunt, ut quaedam sanguinis partes, quae spuma in pulmonibus obviae lentitatem imperiunt, per vasa capillaria permeent; quo adde, quod spuma pertinacius, quam fluidum, parieti adhaeret.

Ex omnibus his perspicere licet, cur cordis ventriculi et atria, cur ejus vasa coronaria, cur cerebri ventriculi et piae matris vasa in cadaverum sectionibus sanguine nigro liquidoque repleta reperiuntur, et cur sanguis in corde con-

42) Plurima eaque certiora hoc de re experimenta a *Viborg* sunt instituta. Cf. *Kopp*: *Jahrbücher*. T. II, p. 413.

43) *Carpenter*: *library of Med.* Vol. III, pag. 243. cf. *Canstatt*, I. c. p. 155.

44) *Annales d'hygiène publique*, I. c. p. 286.

tentus sanguine coagulato commixtus cernatur. Diaphragma hoc in casu profunde in abdomen depresso, regioque costarum spuriarum manifesto extensa est, atque abdomen tenuum et tumefactum appetat.

Quae asphyxiae species suffocativa est, cui interdum mechanica sanguinis ad cerebrum congestio, quin etiam qui busdam in casibus apoplexia conjungitur.

Haec species suffocativa vel in casibus adversis vel tum, quum in sui interemptore vitae amor denuo excitatur, observari solet.

Ad prognosin quod attinet, ea quidem satis infirma est, quoniam saepenumero, quamvis omnia remedia in usum vocaveris, tamen, uti in cura exponenda videbimus, similiter atque in suspensorum morte, spumam removere nullo modo contingit. Cujus rei, quod ad suffocatos spectat, jam *Hippocrates*<sup>45)</sup> mentionem infert, apud quem haec verba legimus: „ex strangulatis et dissolutis necrum mortuis ii minime ad vitam redeunt, quibus spuma circum os collecta fuerit.“

In hac asphyxiae specie, in qua brevi postquam submersi ex aqua protracti sunt tempore spuma sanguinea ex eorum ore basoque profluit, vita rediens spiritu intercluso arte meante prodrut, ac proclivitas ad vomendum vomitusque ipse ingruunt, quo vel spuma mucosa vel aqua vel quibusdam sub conditionibus limus ejicitur, quo facto multum aegrotanti levamini assurtur.

II. Longe alia rei ratio est, si mors subito ingruit. Etenim sanguinis circulatio ac respiratio non, uti casu priore, post crebriores respirandi contentiones, sed derepente cessant. Hoc tum eo effici potest, quod homo in aquam frigidam praecepitur, tum eo, quod glottis vel epiglottis magis est sensibilis (*Eisenmann*). Hoc in casu asphyxia aut mors vel suffocatione vel simul suffocatione et apoplexia existit. Si meminerimus quantopere cohorescamus, quando aqua frigida corpus nostrum percusserit, simile quiddam, at maiorem in modum, hoc in casu accidere intelligemus. Hic miseri illi post inspirationem reflexu effectam, rima glottidis

45) Aphor. sect. II. aphor. 43. cf. *Marc*, I. c. p. 255.

deinde spasmodice occlusa, animi haud compotes in aquae fundum delabuntur. Quam observationem ipsam, quamquam causa non cognita, jam pridem haud ignotam fuisse, inde patet, quod **Frank<sup>46)</sup>** in annotatione quadam haec verba proferit: **Waszprami** wollte sogar behaupten, dass die Ertrunkenen an der in den Lungen cingeschlossenen Luft erstickten.“ Haec asphyxiae species omnino par est illi, quae provocatur, si, praegressa inspiratione profunda, non amplius exspiraveris; quemad statim asphyxiae consumimur. **Weber** in semet ipso efficiebat. Porro ejusmodi mors in defacatione, ergo in vehementi preli abdominalis effecta, occurrit. Sanguis non oxydatus in cerebri vasis manet, quo et sanguis similiter non oxydatus affuit, quae congestio interdum apoplexiam sanguineam citissime mortem inferentem, at semper secundariam, provocare potest. Facies tum tumet, colore subcoeruleo tincta est, spuma circum os non adest, pulmones colore paene normali imbuti, volumine suo quam maxime extensi, ut plurimum, pauxillum fluidi albidi spumosi, sed multum sanguinis fusi continent. In cordis ventriculis atrisque inaequabilis sanguinis distributio animadvertisit, copia, qua cordi dextra inest, quantitat, qua sinistra continetur, praevalente. In cerebro sanguinis extravasata adsunt, in corde sanguinis coagula deficiunt, diaphragma alte in cavum pectorale prominet, costarum spuriarum regio non intumuit, ventriculo nihil aquae inest.

Aquae frigus, vi ad nervos exhibita, asphyxiā vel mortem, primitus ab illis oriundam, provocare potest. Qui casus illam constitūtūt classem, cui nomen apoplexiae nervosae vel immaterialis inditum est, quod nomen posterius nos jam admonet, subsidiū, qua nunc in promptu sint, nihil certi comperiri posse. Itaque rei tam gravis explanatio temporī futuro relinquatur oportet, qua si contigerit, multis processus plane perspicere licebit, quorum eventum nunc quidem solum nominibus nullam explicationem afferentibus designare coacti sumus.

Facies paler, pulmones collapsi sunt, in cordis ventri-

46) **Frank**, I. c. p. 195.

culis atrisiisque sanguinis distributio aequalis eaque modica observatur, vita redeunte, nullum evacuationum vestigium deprehenditur.

Harum specierum utraque, qua homines cito ad aquae fundum descendant, in hysteris, epilepticis illisque, qui capite praevio in aquam delapsi noui amplius emergunt, repe- ritur. Denique apoplexia sanguinea causam proximam affere potest. Qua de re et multae fuerunt controversiae et sententia est proposita, ex hac potissimum apoplexiae specie nullam paralysin relinqui. Quam opinionem verisimile est ex falsa rei contemplatione fluxisse. Etenim submersio per se certe nunquam apoplexiā primariam efficit, sed haec eo, quo diximus, modo via secundaria ingruit. Primaria vero rebus fortuitis exsistere potest, velut si quis vel statu ebrio, sanguinis ad cerebrum congestione jam praesente, vel habitu apoplectico praeditus, vel certo pereundi consilio captio, rebus gravioribus collo circumdati, submersus fuerit, vel capite praevio in aquam delapsus saxo in aquae fundo obvio illius fuerit, vel in aqua sub carinam vel glaciem subierit.

Quod attinet ad conatum vitæ resuscitandæ eventus, hi conatas, prout cause, quae asphyxiā efficerint, diversæ fuerint, diverso sunt eventu. **Kite<sup>47)</sup>** et **Frank<sup>48)</sup>** causas quosdam referunt, in quibus homines, postquam dodrantem horæ in aqua jacuerant, in vitam revocati fuerint. Casum similem **Milleret<sup>49)</sup>** tradit, nec non **Guérard<sup>50)</sup>** duos enarrat casus, in quibus submersi post horas duas ex aqua protracti in vitam restitui poterint, ipse tamen adjiciens, hos casus pro exceptionibus habendos esse, ac pro norma non plus horam statui posse. Quo brevius tempus submersus in aqua manserit, eo melior est prognosis.

### **Asphyxia congelatorum.**

Haec saepe vel sola per se vel cum priore asphyxiae specie juncta (nempe si quis glacie dirupta in aquam ecce-

47) **Kite**, I. c. p. 29.

48) **Frank**, I. c. p. 187 et 201.

49) et 50) **Annales d'hygiène publique**, I. c. p. 307.

derit) occurrit, idque aut casibus adversis, qui quidem in montibus altioribus vel in regionibus septentrionalibus incidunt, aut homicidio, veluti neonatis vel hominibus debilibus aegrotisque expositis.

Propter perpetuam materialium vicissitudinem in omnibus corporis nostri partibus continua fit combustio, qua id maxime agitur, ut corpus, quamvis res extra collocatae diversae sint, pari tamen temperie maneat. Quodsi unum ex momentis primariis ad materialium vicissitudinem valentibus turbatum fuerit, necesse est turbas quasdam inevitabiles existere. Sic, membra alicujus vase gravissimo deligato, extremitatis temperiem deminuit videmus, quod idem innervatione sublata, nempe in paralyticis, evenit; sic, nutrimenti necessarii detractis, totius organismi temperies decrementa capit. Aëris externi temperies, cui organismus per longius tempus expositus est, si a corporis temperie nimis discrepat, id quod altioribus frigoribus gradibus accidit, organismo hanc rationem imparem exaequare studente, acierior materialium vicissitudo exsistit, qua sit, ut, famis sensu exorto, organismus ad materialium novam recipiendam perpellatur. Cui necessitatibus nisi satisfactum erit, sed frigoris vis perdurabit, in partes periphericae, ad quas frigus vim contrahentem exercet, solita sanguinis copia non amplius recipitur, sed sanguis in partibus internis accumulari cogitur. Partes periphericae rigescunt ac potestate se loco movendi privantur, nec non respirationis motus, qui tam multiplices muscularum actionis effectus est, quam maxime diminuitur ac postremo omnino cessat. Ab initio capitis obnubilatio atque insuperabilis somnolentia oriuntur, potestas se loco movendi admittitur, quoad languor eo usque progrediatur, ut homo, tamquam remedium narcoticis consopitus, collabatur, quo ex statu in asphyxiā ac denique in mortem transire potest. Sopore durante, respiratio et sanguinis circulatio, quamvis maxime minutae, tamen continuantur. Corporis superficies· palpit, corpus ipsum, partibus liquidis obrigescentibus, congelatum est, partes prominentes vitri ad instar, si incautius tetigeris, facile dirumpuntur.

In cadaveris congelati sectione sanguis, qui est in corde, ob frigoris effectum decompositus pariter atque sanguis in vasis sanguiferis contentus coagulum colore nigro tinctum,

quod sero congelato circumdatum est, offert. In corde, in pulmonibus, in cerebro multum accumulatum est sanguinis, in cerebro etiam sanguinis extravasata reperiuntur.

Mors aut irritamento adempto, sanguine introrsum affluente et respiratione impedita, suffocatione, aut, congestione jam praesente, apoplexia producitur. Praeter suffocationis signa etiam symptomata apoplectica apparere posse, quo loco de submersorum morte disservamus, jam commemoratum est. Similis apoplexia vel mors in neonatis oritur. Namque in his aëris externi temperies quodammodo eundem, quem frigus in adultis, effectum habet. Etenim, sanguinis oxydatione in placenta jam desinente, suffocatio cum symptomatis suis exsistit, quae crebro in partibus pedibus praeviis editis, in quibus corpus excepto capite in lucem egressum refrigeratur, in funiculi umbilicalis prolapsu, vel pressione ad hunc funiculum agente accidit, nisi his in casibus necessarium artis auxilium allatum fuerit. Hic in universum saepius apoplexia primaria provocandae occasio præbetur: nam inter momenta hujus origini faventia compressio ossium craniū partibus difficultibus, ut operationibus ope forcipis, effecta referri potest. Causae ceterae, quae neonatorum asphyxiā provocare queunt, quo loco de strangulatorum asphyxia verba faciemus, memoranda erunt.

Congelatorum asphyxiā contendere possimus inter omnia asphyxia genera optimi praesagii esse. Namque viatae resuscitandae conatus, animo jam per horas 24, quin etiam per biduum sui impote, secundissimum eventum habuere.

### ***Asphyxia strangulatorum nec non oppressorum et suspensorum.***

Hae mortis species, auctore *Orfila*, idcirco simul tractari possunt, quod inter se admodum sunt similes, eo tamen discrimine intercedente, quod suspensio saepius ad suicidium, strangulatio et oppressio crebrios ad homicidium adhibentur. Proxima harum mortium causa in sublata respiratione (suffocatione) inniti potest, provocata illa quidem aut nervorum ad respirationis organa decurrentium laesione aut aëri externo aditu ad respirationis organa mechanice intercluso. Porro mortis causa in apoplexia vel in suffocatione et apo-

plexia simul posita esse potest, quorum posterius secundum census statisticos frequentissime evenit. Hac in re cerebri actio prius, quam pulmonum, desinit. Huc omnium primus **Remer**<sup>51)</sup> virorum doctorum animos adverdit, qui quidem hinc explicacione petendam esse judicat, cur strangulatio quoque ad suicidium adhibetur. — Tempore primo, quo regionis colli anatomiam jam probe cognitam habebant, arteriarum carotidum, venarum jugularium, nervorum vagorum compressionis proximam mortis causam adscribent<sup>52)</sup>. Veruntamen **Galenus**, experimentis nunc in arteriis carotidibus nunc in venis jugularibus institutis, sanguinis in his partibus circulationem interruptam nullas majoris momenti turbas provocare, sibi persuasit, nisi quod, nervis vagis turbatis, vocem sublatam vidisset. Ceterum, his observationibus neglectis, multi suspensorum et oppressorum mortem ex apoplexia deduxerunt, quam ex compressione venarum jugularium et sanguinis circulationie sic turbata repellendam censuere. Qua in re momenti cuiusdam gravissimi, nimis pressionis ad laryngem et tracheam exhibitae, ratio habita non fuit. **Moros**<sup>53)</sup> animal suspensum, quum tracheam infra laqueum aperiret, per longius tempus in vivis servavit. **Champault** et **Faissole**<sup>54)</sup> animalia, trachea deligata, necarunt, nec non **Stolle**<sup>55)</sup>, similibus experimentis susceptis, eundem nactus est eventum. Illo sententia emanavit iognis argumentis firmata, in suspensione tracheam laqueo tantopere ad columnam vertebralem apprimi, ut perfecte occcludatur. Omnes hujus theoriae defensores apoplexiam via secundaria existere posse haud infiantur.

Qui apoplexiam primariam statuunt, illa nituntur observatione, quod in infantibus, partu durante funiculo umbilicali circa collum circumvoluto, pressus ad laryngem exhibitus asphyxiā non provocet, quum infans non respiret.

Quae quum ita sint, utraeque partes magni momenti observationibus nituntur ac re vera utraeque recte judi-

51) *Siebenhaar*, I. c. T. I, p. 381.

52) *Morgagni* epist. med. XIX. cf. *Meissner*, I. c. T. IV, p. 275.

53) *Constatti*, I. c. p. 160 Annot.

54) et 55) *Siebenhaar*, I. c. p. 382.

cant. Etenim, in neonato si symptomata apoplectica apparent, causa in eo querenda est, quod sanguinis per umbilici vasa circulatoria impeditior exsistit, et sanguis, his in vasis stagnans, refluxum a cerebro prohibet.

**Fleischmann**<sup>56)</sup> in adultis diversas mortis species in diverso laeaci situ reponendas esse existimat; attamen haec viri docti sententia autopsia non est confirmata. In suspensiōne quod saepius, ut supra admonimus, mixta quadam mortis species ingruit, ejus rei explicatio, uti mea fert opinio, ex hisce rebus repeti potuerit. Pressus ad tracheam et laryngem exhibitus suffocationem efficit, dum pressio simul ad colli vasa sanguifera laeaco facta apoplexiā provocare potest. Quae apoplexia, si quidem rerum conditiones faverint, citam mortem inferre potuerit, antequam suffocatio eo usque sit evoluta, ut mortis ansam praebeat.

In his casibus facies rubefit, oculi sanguine oppleti prominent; spumamque sanguineam, os obtengentem, agoniae longioris indicium esse per se intelligitur. Hoc in casu, pariter atque in submersis, vitæ resuscitandæ conatus minorem, quam in casu contrario, utilitatem afferunt.

Nec desunt casus, in quibus corpus pallidum appareat, atque, quum autopsia nulla manifesta nobis praebeat signa, paralysis a nervis orta praecessisse credenda sit. **Marshal Hall** hunc statum, quem trachelismum dicit, ita explicandum esse judicat, ut muscularum colli musclicaque pectoralis minoris spasmos venas vertebrales comprimere, et sanguis in iis rententus ad medullam oblongatam pressionem exhibere putetur, qua subita mors inferri possit.

Vertebrarum dorsaliū inter se luxationem fieri posse, extra omnem dubitationis aleam est positum, eamque adesse, tunc suspicamur, quum facies paler, caput ad latum versus inclinatum est, atque in cadavere capitis rotationes jam institui nequeunt. Quae luxatio, si corpus majoris est ponderis, fulcrumque pedibus suppositum repente amovetur, miserque, quum laqueus oscillare coepit, multo supra solum positus

56) *Henke*: Zeitschrift. T. III. 1828, p. 310 sqq.

est, accidere potest, et quod dubium esse nequit, exemplo mortem infert. In neonatis luxatio tunc evenit, quam rude artis auxilium in partu pedibus praeviis praestatur. Quo in casu infans eundem, quem modo descripsimus, adspectum prachet, ei, quem in asphyxia syncoptica, praegressis matris haemorrhagiis aut funiculo umbilicali discesso effecta, observamus, consimilem.

De prognosi si quaeratur, hae asphyxiac species in adultis pessimi sunt praesagi. Namque salutis spes non exstat, nisi quum asphyxia perpaucas modo sexagesimas duravit, vel aliae quacdam conditiones secundae, uti larynx ossificata, quae aëris aditu non prorsus intercludi possit, accedunt.

### ***Asphyxia ex aëre irrespirabili.***

Sanguinis venosi in arteriosum commutationem aëris pulmonibus receipi oxygenio fieri, inter omnes convenit. Itaque aërem constanter una eademque constitutione esse necesse est. Quodsi talia gasa inspirantur, quae per se innoxia parum oxygenii continent (gasa negative noxiæ), vel si pulmones aërem respiratione jam oxygenio privatum recipiunt, sanguinem arteriosum necesse est venosum evadere. E contrario alia gasorum genera per se, quamvis exigua copia aëri admixta, noxiæ sunt (positive noxiæ), quorum nonnulla, rimæ glottidis spasmum producent, quominus aër ad pulmones accedit, impediunt, veluti NH<sup>3</sup>, Cl, SO<sup>2</sup>, NO<sup>4</sup>, alia, quum ad sanguinem arteriosum in venosum permutandum valent, vim sopientem habent, uti CO<sup>2</sup>, gasa mixta ex cellis subterranciis puteisque escendentia, porro SiI, AsF<sup>3</sup>, PH<sup>2</sup>, CO, gasum e cloacis evolutum, carbonum nidor. Duo, quae ultima diximus, gasa vim complicatam ad organismum exercent.

Asphyxia gasis negative noxiis producta, in vasorum systemate mutationes quaedam reperiuntur, et sanguis arteriosus a venoso nihil differt.

Post gasorum negative noxiorum effectum, prout gasum diversum fuerit, atque aut longius aut brevius temporis spatium a vita existeta usque ad investigationem institutam effluxerit, diversi observari solent eventus. Sic eorum, qui

carbonum nidoce suffocati sunt, sanguis, prout cadaveris sectio aut paullo aut multo post mortem instituta fuerit, modo colorem rutillum, modo cerasinum, modo fuscum, modo nigrum offert, nec non, aut SH aut NH<sup>3</sup> effectu praegresso, spissus et nunc subfuscus nunc subviridis cernitur. Hominum ex carbonum nidoce mortuorum corpora per longius tempus calida et flexibili manent, atque putredo tum serius incipit.

Quod ad effectum SH, NH<sup>3</sup>, SH + SNH<sup>3</sup> attinet, saepe homines, his gasis inspiratis, exemplo, velut fulmine icli, corrunt, dum alii in casibus longiore opus est tempore, antequam gasorum illorum vis manifestetur. Praegressis ventriculi atque articulorum doloribus collique constrictio et deliriis ac convolutionibus, facies pallescit, pupillæ dilatantur et immobiles fiunt, os spuma impletur nunc alba nunc sanguinea, cordis motiones irregulares evadunt, denique, ut pauci dicamus, symptomata nervorum affectiones indicantia ingruunt. Morte aut his gasis, aut ceteris tardius allata, potius symptomata sanguinis congestioni peculiaria offeruntur, unde apparere videtur, effectus gradu differre. Acidum carbonicum merum, quaecunque rerum conditio sit, asphyxiæ quam celeriter provocare, facile perspicitur.

In omnibus gasis mortem haud celerem afferentibus prognosis non adversa est.

### ***Asphyxia sideratorum.***

Nomine siderationis antiqui morbos quosdam periculosissimos, subito sine ulla causa conspicua quasi siderum vi ingruentes, appellabant. Hodie hoc vocabulo fulminis ad homines vivos effectum designamus.

Qui fiat, ut fulmen interdui periculosius sit quam noctu, deinde num sexus aut aetas, num soli indoles hac in re alicuius sit momenti, ad hunc diem nondum satis est exploratum.<sup>57)</sup>

Si quaeritur, quomodo fulmen vim suam exhibeat, ex-

Adnot. Sic Julius Caesar quondam carbonum nidoce paeno asphyxiæ est datum, cf. Frank, 1. c. p. 133.

57) L'abéille médicale, 1. c. p. 136 article p. Boudin.

periuenta ope machinae electricae instituta nobis responsum suggestunt. Lagena Leydensi enim vi electrica minus impleta, ictum in antibrachio percipimus, dum, si magis repleta est, ictus humero, pectori infertur, ac denique, certa lagenarum serie agente, animalis mors efficitur. Quia in re quid aliud sit, nisi ut irritamentum fortissimum ad nervos vim suam exhibens, elementis eorum morphologicis destrutis, facultatem stimulos propagandi tollat, coque subitam mortem infert?

Hoc modo illi explicandi sunt casus, in quibus sideratis eodem inventi sunt situ, quo ante fulminis ictum fuerant.

Omnia irritamenta ad eudem applicata via reflexiva respirationem sanguinisque circulationem commutant, adeoque, si quidem vehementiora fuerint, hos processus sistunt. Quae res hoc in casu eo facilius, ut opinor, accidere potest, quod in multis, quam, tonitruo durante, non quavis animi excitatione carcent, id quod ex respiratione pulsusque acceleratis appareat, satis causarum exstat, quibus suffocatio et syncope effici possunt. In hominibus sideratis oculi sugillati faciesque cocrulea cernuntur, ex ore nasoque nonnunquam sanguis profuit, et cadavera longum per tempus flexibilitate manent.

Quod sanguis non coagulari dicitur, hoc in falsa rei contemplatione est repositum. Quo modo fiat, ut combustiones, bullae in corporis superficie sitae, vestium criniumque adiustiones, quin etiam interdum cutis convoluta reperiantur, per se intelligitur. Ossium laesiones in universum rarores sunt.

Sideratus, si ad se reddit, corporis artuumque dolores, pectoris oppressionem, dolores pungentes in pectore perceptos conqueritur. Saepe paralyses remanent, quae vel breviore vel longiore temporis spatio evanescent.

In aliis casibus cur mors, in aliis asphyxia existat, ejus rei explicatio inde est petenda, quod fulminis hominem radio pleno percussientis effectus vehementior, contra fulminis prope hominem decidentis vis minus fortis esse solet.

Confitendum est, ex sideratis perpaucos servare contigisse. Ex altera parte enim multis auxilium deficit, quippe qui pro mortuis haberentur, ex parte altera respicendum est, talem casum adversum plerumque in locis deviis, uti in campis silvisque, incidere, quo denique accedit, quod, sicuti

*Guérard*<sup>58)</sup> ait, in tractandis sideratis hodie quoque pariter inscinter nos gerimus, quam abhinc saeculo in tractandis hominibus submersis nec non aëre irrespirabili asphyctis se gesserunt.

Consideratis gravissimis asphyxiae speciebus, ad caput tertium, quo de cura exponemus, transire liceat.

### Caput III.

#### *Therapia.*

Si id agitur, ut asphyctos in vitam revocemus, primum causam asphyxiae, siquidem etiam perdurat, removereamus, miserosque in eum locum conferamus oportet, ubi ad vitalitatem sublatam restituendam accedere possimus.

Indicationi primae ut satisfiat, auxiliū latio pro causarum diversitate diversa est.

Submersos ut sub aqua vel sub glacie quaeramus indequae extrahamus, variis apparatus quaerendo captandoque inservientes, nec non urinatores, et in casu posteriore, ut loco, quo miser perierit, per glaciem fragilem appropinquare possumus, navigio eum in finem inventa (Eisboote) adhibemus. Ad haec subsidia etiam canes Novifoundlandenses referre possumus, quorum tamen iudeas peculiaris, auctore *Marc*<sup>59)</sup>, nostro climate obtundi videtur.

Ut hominem ex atmosphaera noxia removeamus, quibusdam rerum conditionibus eum, qui opitulatur, cautelam quandam observare oportet, ne ipse aëre nocente pessum detur. Mortem ceteroquin inevitabilem apparatu<sup>60)</sup> quodam (Erstickungswehr) effugit, qui quidem subucula aëri non

58) I. c. p. 318.

59) *Marc*, I. c. p. 28.

60) Cit. 4. T. XXIX p. 148. cf. *Marc*, Tab. I, fig. 3, ubi delineatio buc pertinentis exstat.

pervia et larva vitrea, cui tubulus elasticus longus, per quem aër atmosphaericus purus ad quaerentem perferatur, affixus est, consistit.

Ad miserum transportandum et vestibus exuendum semper maxima conferenda est opera, qua in re cavidum, ne membra violenter extendantur aut inflectantur, atque id spectandum est, ut quaevis conquassatio fortior evitetur. Prae ceteris in congelatis, quorum membra rigentia, si incutius tetigeris, facile dirumpi possunt, summa adhibenda est cautio.

Misero in eum locum delato, quo remedia ad vitam resuscitandam necessaria in usum vocari possint, omnium primum ei positio apta praebenda est, quae quidem gravissimam curationis partem constituit. Submersus lateri dextro imponatur, caput ejus ad partem anteriorem flectatur simulque frons leniter sustentetur. Maxillae quam cautiissime altera ab altera removeantur, ut aquae, spumae etc. effluvium adjuvetur. — In ceteris casibus, exceptis congelatis, miseri in positionem magis erectam ac sedentium redigendi sunt.

Remedia vitae resuscitandae adhibenda

- 1) talia sunt, quibus respiraudi processus
- 2) talia, quibus, nervis periphericis irritatis, nervorum centra, et
- 3) talia, quibus sanguinis circulatio excitetur.

Tempus ac series, qua haec remedia in usum convertantur, maximi momenti sunt. Praecipue perseverantia suadenda est, neque, etsi plurim horarum cura successu caruerit, ulteriores vitae revocanda conatus omittantur oportet. Semper certa quedam observanda est remediorum uenditorum series, ita ut a stimulus minoribus ad fortiores sensim ac paullatim transeas. Quo modo si per horas 24, nonnullis, ut per se intelligitur intervallis, miserо auxilium tulerimus, neque nobis contigerit, ut asphyctum in vitam restituamus, tum saltem id videndum est, ne exsequiae prius agantur, quam haud dubia putredinis phaenomena extiterint.

Jam, si quaesieris, a quorum remediorum usu in curanda asphyxia initium faciendum sit, physiologia responsum suppeditat. Haec enim ostendit, quo intimo connexu respiratio sanguinique circulatio et calor animalis inter se cohaerent,

quaequae ratio mutua inter hos maximi momenti processus intercedat. Respirationem sanguinisque circulationem ut simul una nec non actionem nervorum periphericorum sublatam remediis, quae statim exposituri sumus, excitemus, studendum est.

### **1. Remedia respirationi restituenda.**

Ut respiratio, quae quam primum suscita est, restituatur, complura remedia, ut aëris inhalatio, nervorumque cutis vel nervorum respirando inservientium irritatio, commendata sunt. — Aëris inhalatio aut ope apparatus artificialem, quibus follis simplex apparatusque maxime complicati adnumerandi sunt, aut ex ore in os instituitur, quae ratio posterior, ut statim videbimus, fere in omnibus casibus suadenda est. Agendi ratio haec est, ut, cavo oris a limo et muco ceterisque, quae fortasse in eo reperiuntur, liberato, os ori appetatur, et, naribus clausis et larynge retro repulso, circiter tantum aëris infletur, quantum ipse in inspirando duxeris. Nares eo consilio claudendas sunt, ne aëris ex cavo oris per nasum excedat, et larynx idecirco ad partem posticam movendus, ne aëris in oesophagum deveniat. Aëris inhalationes nonnullis intervallis iotra sexagesimam toties repetendae sunt, ut inspirationem in sexagesima faciendarum numero respondeant; verumtamen id observandum est, ut aëris ante inhalationem ex pulmonibus rursus exeat. Casu contrario enim aëris denuto inflatus, viarum aërisferarum parietes ut dirumperentur, efficeret, quia ex re emphysema, quin etiam pneumothorax exsisteret. Aëris egressum aptissime co efficere possumus, ut abdomen singulis intervallis a parte inferiore sursum pectorisque partes laterales leniter prenamus, et ante singulas aëris inhalationes aërem in pulmonibus remoratum ore nostro aspiremus. Tali agendi ratione expiratio quadammodo compensatur.

Qua methodo adhibita, ut relationes statisticæ docent, multis in casibus, ut miseria vita restitueretur contigit.

Qua methodo utentes si parum caute egerimus, accidere potest, ut viae aërifera nimis expandantur, quin immo rumpantur. Sic *Leroy d'Etiolles*<sup>61)</sup> casum quendam re-

61) *Most.*, I. c. p. 946.

fert, in quo juvenis joci causa puellae amatae, naso ante manu compresso, aërem in os inflaverit, quo facto, puella in statum asphyxiae similem incidit, ex quo demum multis conatibus eam in vitam revocare lieuit. *Leroy* <sup>62)</sup>, quum animalium pulmonibus vi majore aërem inhalasset, investigatione instituta, manifestas parenchymatis pulmonum rupturas deprehendit. Etenim pulmonum cellulae dirumpuntur, id quod emphysema et pneumothoracem producit.

Fuerunt, qui has sequelas adversas apparatus usus praecaveri posse crederent, attamen, hos apparatus si parum sollerter adhibueris, idem accidere potest, quo addes, quod apparatus non semper in promptu sunt.

Si ab aëris inhalatione exoptatum effectum exspectes, necesse esse, aërem in pulmones pervenire, per se jam perspicitur. Quo respectu interdum et in methodo aërem ex ore in os inhalandi et in altera apparatus adhibendi ratione difficultates objiciuntur. Sic ex. gr., si rimae glottidis spasmodus exstiterit, praegressa tracheotomia, ope catheteris elasticis in aperturam formatam aërem inflare possumus, si forte antea non contigerit, linguae radice digito extracta, tubulum elasticum per rimam glottidis immittere.

Si trismus oris, veluti post carbonum nidoris effectum vel nonnunquam in submersis, adfuerit, aëris opere catheteris per nasum introducti inhalari potest.

Ob alias quoque causas nonnulli apparatus artificium usum praeferendum censem. Quibus apparatus certa aëris atmosphaericæ quantitas in pulmones inferri potest, quo accedit, quod, praegressa inhalatione, expirationem instituere licet.

Aëris inhalatione ab homine perito facta, raro accidit, ut incaute agatur, nam ille, si non omnino pares aëris columnas, saltem quodammodo aequales in pulmones inhalabit.

Si quis methodo aërem ex ore in os inhalandi id proprio dederit, quod ea aëris acido carbonico abundans in pulmones infletur, ei objicendum erit, aërem expiratum semper oxygenium, idque tantum, ut aëris ille nullam vim nostram exhibeat, continere, praetereaque aëris exspirati tem-

periem atmosphaericæ temperie superiori esse. Quo modo exspiratio in hac methodo compensemetur, supra jam commemoravimus.

Etiam si opprobrium de non certis aëris quantitatibus haud injustum sit ideoque difficulter amoeri quacum, tamen calor, qui inhalationibus ex ore in os institutis in pulmones inferior, maximi momenti est. Huic enim, me judice, atribuendum est, quod hac methodo totidem, si non plures, quam apparatus artificialium auxilio, in vitam revocati sunt.

Nonnullis tamen in casibus, nempe in congelatorum nec non sub glaciem submersorum curatione, calor efficiens evitandus est. His igitur in casibus curae initio follis utendus est, posteaque, si corpus ad temperiei adactae effectum exponi potuerit, ad methodum aëris ex ore in os inhalandi transcendentum est.

Contra haec methodus praecipue in usum vocanda est in curandis hominibus paullatim submersis.

Aqua in superioribus pulmonum partibus contenta sputaque pars, misero in aptam positionem redacto, removeri potest. Spuma reliqua, quae partim viarum aëriteriarum patribus adhaeret, partim tenuissimas earum ramifications implet, hoc statu non resorbetur, ita ut, nisi eam amovere lieuerit, quivis respiracionis restituendae conatus successu careat. Ad amovendam hanc spumam miseris conquassare, volvere, dorsumque percutere solent. Saepe asphycti jam, dum transportantur, ad se redeunt, quoniam in transportando crebro conquassatio evenit. Quassatio atque pulsatio, ut spuma evanescat, adjuvare possunt, at caedem, quum haemorrhagias provocare queant, nisi cum summa cautione adhibueris, rejiciendae videntur.

Antlia aspirando inserviens, quam ad indicationem illam explendam in usum vocari suaserunt, experientia non est probata. Etenim experimentis compertum est, si hoc instrumentum in alteram narum induxiseris, altera narum oraque occlusis, non licuisse embolum attrahere. Quod si fieret, spatium aëreum vacuum existere necesse foret, unde haud dubie sanguinis in vias aëriteras profluivum eveniret. In aspiratione necesse est fieri possit, ut aëris alternis in pulmones penetret, quo circa facile intelligitur, quo modo aspirationis

62) Annales d'hygiène publique l. c. p. 297.

solius usus eventus infastos, inflatione praegressa autem eventus satis prosperos praebuerit.

Cui indicationi aëris calidus satis vehementer inflatus optime satisfacit. Etiamsi enim primo adspectu credideris, aëre in pulmones jam magnopere expansos, quin etiam interdum emphysematosos inhalato, effectum adversum exoriturum esse, tamen rem alter se habere satis constat. Emphysema vel pneumothoracem non metuendum esse **Louis**<sup>63</sup>) affirmat; namque pulmonum vesiculae bullis aquae jam extensa sunt, aërcque calido satis vehementer inflato hae bullae, praesertim in trachea et bronchorum ramificationibus obviae, dirumpuntur. Quo modo quam aëri in bullis inclusio exitus patet, aëri jam intranti spatum praebetur.

Quaeritur, qua ratione aëris inhalatio respirandi processum exuscitat?

Chemicas aëris atmosphaericas partes hac in re non tanti momenti esse, aëris ex ore in os inhalatio coargnit. Oxygenii si summa esset gravitas, eo inflando finem propositum assequi licet, quod tamen hujus remedii usus non probavit. Itaque effectus causa in aliis quaerenda est momentis.

Si inspiratione vasa sanguifera in pulmonibus decurrentia pressionem subeunt, factaque expiratione denuo turgescunt, quid, queso, aliud in aëre inhalando evenit? Ponamus, nos in pulmones hyperaemicos aërem inflare. Tum aëris columnam viarum aëriteriarum parietes extendit, coque sanguinem in vasis vicinis contentum loco pellit. Suscepta expiratione artificiali, sanguis locum pristinum recuperat, qui sanguinis regressus, aeque ac propulsus ejus, multis pulmonum locis uno codemque tempore evenit.

Primo viarum aëriteriarum parietes moventur, tenuesque nervorum ramifications irritantur, nec non sanguinis motio efficitur, qua re ad vasorum parietes irritatio exhibetur. Extensis vasorum capillarium pulmonum, hac modica irritatione effecta, siquidem haec organa ullum vitalitatis vestigium servarunt, ad cor propagari ejusque contractions provocare potest.

63) Louis: Lettres sur la certitude de la mort, p. 270. cf. Annales d'hygiène publique 1. c. p. 296.

Quo modo autem aëris inhalatio his in causibus effectione habet, in quibus pulmones, id quod in asphyxia in universo raro accedit, non sunt hyperaemicos? His in casibus, uti mea fert opinio, maxime nervorum viarum aëriteriarum ramifications aëris inhalatione irritatae respiciendae sunt.

De remediiis alius ad respirationem suscitandam usitatis infra disseremus.

## 2. *Hemedia nervis periphericis irritandis.*

Nervi peripherici ut irritentur A, cuto, B, membranis mucosis utuntur. — A. Ad remedia in usum vocanda

a. calor pertinet. Calor quamvis remediis ad vitam revocandam aptissimus adnumerandus sit, tamen tempores aducta vim noxiā habere potest. Calido anni tempore satis est, misero auxilium nostrum sub diu praestare, eumque ad solis radios exponere. Aliis in casibus sacci cineribus calidis impletis, arena caelestis misero circumdata, involutiones in vestes stragulas calidas multum prosunt. Ceterum calor arte provocatus tantum eodem gradu, quo corpus incalescit, augeatur oportet. Rigentia congelatorum membra primū nivibus circumdati regelandi sunt, id quod, si corporis temperiem resperxeris, balneo calido par habendum est. Caloris usus praecipue in submersis curandis aptissimus est.

Secundum calorem ad nervos periphericos excitandos alterum quoddam remedium plurimum auxiliū afferit, nempe

b. frictiones. Quae ab omnibus auctoribus suasae optimoque cum successu adhibitate in omnibus asphyxiae speciebus multum prosunt. Prout diversa est utendi ratio, frictionum efficacia aut localis, irritatione ad vasorum parietes exhibita, partisque, quae fricatur, calore aucto, aut universalis est, dum fortius fricando irritatio ad cutis nervos exercita ad modullam spinalem, frictione etiam fortiore facta ad cerebrum et hinc ad organa interna transfertur, ut pendulum plantis fortissime fricatis.

Itaque, a frictionibus lenioribus initio facto, eas per longius temporis spatium continuari oportet, qua in re frictionem postea augere licet, siquidem respiratio restitui cooperit. In casu contrario frictionibus sanguis liquidus, qui in mem-

bris inest, cor et pulmones versus propelli videtur, id quod ex observationibus Hamburgi institutis eluet.<sup>64)</sup>

Frictiones, quum partium earum, quibus adhuc hibentur, calor locum adaugeant, ob causas supra commenates in primis in submersis instituendae sunt. In congelatis frictiones opernivum facienda sunt. Ad fricandum aut pannis laneis calafactis siccisque vel liquoro aliquo spirituoso imbutis, aut scopis setaceis utimur. Frictiones spirituosas evaporando corpori calorem detrahere coequi vim nostriam habere, quidam contendunt; at hi tamen, quum frictionibus illis manifesto effectus excitans exhibeatur, errore ducuntur.

c. Frigus. Quo loco de submersorum asphyxia verba fecimus<sup>\*)</sup>, de modo, quo aqua frigida ad organismum nostrum vim haberet, disseruiimus. Namque, ut omnia fortiora cutis irritamenta, velut punctio ope acuum, verberatio ope urticarum, moxarum applicatio, pilorum praescrictum genitallium nasique, evulsio, reflexu nervorum inspirando inseruentium incitationem, coequi cavi pectoralis dilatationem efficit. Hoc modo sanguis cerebri venosus assurgitur, et sanguinis arteriosi successio fieri potest. Hinc aquae frigidae corpori infusae effectum repetendum censco, quae methodus primum ab **Harmant**<sup>65)</sup> in hominibus acido carbonico suffocatis adhibita nunc in omnibus suffocationibus ex aere irrespirabi ortis prosperrimo cum successu usurpatur.

Frigus ope fomentacionum adhibitum ut remedium antiphlogisticum vim exercet. Sic frigus in omnibus asphyiae speciebus ex apoplexia exortis in usum vocare possumus, glacie ad caput applicata.

Unum ex irritamentis fortissimis

d. galvanismus et electromagnetismus est. Quod remedium non nisi pro ultimo refugio, et tum quoque quam maxima cautione in usum convertendum est, qua de causa ab irritationibus minoribus exorsus sensim ac paullatim ad fortiores progrediare. **Marc**<sup>66)</sup> optabile esse judicat, hujus remediis usum sola sideratorum asphyxia contineri.

64) **Marc**, l. c. p. 150.

65) **Harmant**: *Memoires*. Pia 1775, p. 182. cf. **Marc**, l. c. p. 245.

66) l. c. p. 204—213.

\*) cf. p. 23.

Quac a **Leroy d'Etiolles**<sup>67)</sup> commendata est ratio, acus in acupunctura usitatas inter costas septimam octavamque infigendi, quas acus,  $\frac{1}{2}$ " taunt immisces et diaphragmatis fibras attingentes, tum vi galvanica impertiit, ea, quanquam efficacia non caret, quum animalibus submersis respiratio redierit, tamen, quoniam summa opus est cautione, multumque expostulatur temporis, jure ac merito ceteris postponenda videtur.

B. Ad quasdam membranas mucosas caloris vim adhibere possumus, uti in aere ex ore in os inhalando. Per anum quoque vapores calidi immitti possunt, qui quidem aptiores videntur ad eum assequendum finem, quem nonnulli clysmatis herbarum nicotianae fumum introducentes sibi attingere posse videbantur, quae methodus tamen propter nicotinum omnino est rejicienda. Iis in casibus, in quibus clysmatis irritantibus vim a partibus gravioribus derivantem exhibentibus, ea caefacta applicare possumus.

In paullatim submersorum asphyxia curanda cur quovis clysmatum usu abstinentum sit, infra explicabimus.

Ut nervorum ramifications in nasi membranis mucosis irritentur, coequi motus reflexivus (sternutatio) et evacuatio efficientur, substantiae acriter olentes in usum convertuntur. Substantiae irritantes inspirandae praebentur, ut tussis moveatur. Quae remedia tamen in asphyxia completa omni effectu carent. Namque, si membra sternuti aliquot inspirationes, tussique inspirationem profundam praecedere, remedia illa tum modo adhibenda esse appareat, quum vitae redeutis signa iam in conspectu veniant. Eadem est ratio tillitatus faecium ope plumae effecti, ut evacuationes per os fiant. Qualis evacuatio in asphyxia submersorum et, quac ex carbonum nidore orta sit, admodum est optabilis, quem finem ut assequare, irritationis mechanicae usus remediis emeticis semper praferendus est. Nam 1) remedium internum aegrotu tum demum porrigi potest, quoniam mentis suaem iam omnino compos factus est, et 2) dubitemus oportet remedium praebere, quo assumpto lassitudinem ac languorem, pulsumque tardiorum existere sciamus, ita ut,

67) **Most**, l. c. p. 948.

eo adhibito, facile periculum afferri queat. Remedium emeticum per venam injectio id habet incommodi, quod, quum aëris facile in venam intrare possit, homo fortasse asphyctus exemplo veram mortem occupabat.

In submersis, si ope clysmatis evacuationem per anum efficerem conatur, potius effectum noxiun exspectare possumus. Etenim, fluido injecto, intestina impleta magis etiam extenduntur, diaphragma vel magis sursum propellitur, pulmonesque etiam magis comprimuntur, id quod respirationi resuscitandae tantum obesse potest. Ob easdem causas vaporum calidorum usum non commendandum esse censemus.

### 3. *Remedia circulationi restituendae.*

Venaesectionem non modo ad sanguinis circulationem accelerandam, verum etiam ad eam restituendam valere, experimenta ab **Haller**, viro clarissimo, instituta docuerunt. Unde licet conclusio videatur efficienda esse, hanc operationem in quavis asphyxiae specie utendam esse, tamen, hac ratione adhibita, asphyxia interdum quam facilime in mortem veram mutaretur. Namque, si phaenomena respicimus, quae, venaesctione instituta, in aegrotis observamus, calore pulsusque minutis et animi deliquio ingruente, certe intelligimus, hoc remedium, tanquam anceps et periculosum, omnino omittendum esse.

Asphyxia si via primaria ex cerebro sanguine nimis oppleta orta est, sanguinis copiam minuere non dubitabimus. Nam, quum periculum sit, ne cerebrum singulis locis dirumpatur, vena secunda, ut sanguis aequabilius distribuatur, efficerem studemus.

Pleraque asphyiae species, uti supra vidimus, ex oppressa pulmonum actione et sublata inde haematosi originem ducunt. Pulmonum actionem si restituere contigerit, sanguinis distributione exaequata, sanguis venosus, quo cerebri vasa oppleta sunt, sanguini arterioso cedit \*).

\* Causa, cur tempore plio in submersis semper venaesctionem instituerint, ex theoria de hac asphyiae specie vulgata, supra commemorata, repetenda est. cf. p. 18 et 19.

Venaesectio iis in casibus necessaria est, in quibus venarum faciei turgor, insignis totius corporis rubor, oculi turgentes, venae colli temporumque tumefactae nobis offensantur.

Sanguinis deplendi copia pro aegroti aetate ac constitutione diversa est. In neonatis ex dissectis umbelici vasis unum vel duo sanguinis cochlearia emitenda sunt. In adultis aut vena jugularis externa vel vena mediana aperienda est. Venaesectio melius in brachio, quam in pede, institui videtur, quoniam, ut experientia probat, eadem sanguinis copia ex vena sapiente emissâ citius, quam ex vena mediana depleta, animi deliquium provocat. Sanguinis profluvium leniter fricando adjuvar potest, ad quas frictiones aut pannis calidis aut spongiis aqua calente imbutis uti licet. Quo facto, si sanguis non fluxerit, cucurbita vulneri apponitur, vel aegrotus, vulnera aperto, in balneum calidum immittitur.

## ***The s e s.***

---

- 1) *Methodus aërem ex ore in os vel ope cannulae inhalandi in asphyctis, exceptis submersis, omnibus ceteris praeforanda est.*
  - 2) *Diatheses scrophulosa et rheumatica pares sunt.*
  - 3) *Methodus professoris Adelmann in ectropio admodum evoluto ancyloblepharon artificiale formandi omnium hunc in finem usitatarum methodorum optima est.*
  - 4) *Color flavus, quem maculae ex spermatis effluvio in linteis obviae, si calefeceris, praebent, non est signum diagnosticum.*
  - 5) *Omnibus injectionibus ad sanandam urethroblennorrhœam commendatis tincturæ nucis vomicae injections anteponendae sunt.*
  - 6) *Instrumentum a Malgaigne ad fracturam patellæ curandam inventum cautissime tantum est adhibendum.*
-